

ipsam sententiam tueri: quæ tamen consistere cum metonymia ipso-
rum sacramentaria tam non potest, quàm cum tenebris sol, & Chri-
stus cum Belial, quemadmodum in sequente disputatione Deo clemen-
ter adjuvante, διαγγέλλει demonstrabimus.

45. Singulari igitur studio notamus luculentissimam de-
scriptionem ipsius Christi: Hoc, inquit (quod ego vobis exhibeo,
vosq; manducare jubeo) est (verissime) corpus (non vituli Leviti-
ci, non agni paschalis Iudaici: neq; communis alicujus hominis, sed)
MEUM (ipsius filii Dei proprium corpus, quod assumpsi in personæ
meæ unitatem, illud ipsum inquam corpus) quod pro vobis tradi-
tur, sive frangitur. Eodemq; modo sanguinem suum describit Chri-
stus, I. Quod sit sanguis verus: sicut etiam in V. T. verus sanguis
fuit, sed brutorum animalium, II. Sanguis meus, inquit Chri-
stus: non agni paschalis Iudaici, vel animalis ritu Mosaico sacrificati,
sed meus, filii Dei proprius. III. Novi Testamenti, non vete-
ris. Figura enim illius in V. T. erat, in novo autem ipsum verum cor-
pus est, & verus sanguis ipsius Christi.

46. Quàm infeliciter hic digladiantur Zuingliani, &
Calvinistæ tropis suis: Est pro significat, corpus pro signo corporis,
vel figura, vel virtute vel efficacia corporis, &c. sequens docebit di-
sputatio.

47. Et ineptiæ eorum plus quàm pueriles abjiciendæ sunt,
qui ex: Quod: faciunt: Quale, salium facientes ex substantiæ præ-
dicamento in qualitatem: vel Quod per Quatenus explicantes:
addito argumento (Sophistico) quia alioqui secuturum sit, Christum
habuisse duo corpora, quorum alterum sit pro nobis traditum, alterum
non traditum. Quod planè ridiculum est, nam particula Quod non
est distributiva, sed definitiva, notans veritatem corporis, non mul-
tiplicationem.

48. Et graves causæ sunt, cur passionis, sive mortis suæ men-
tionem expressam facere Christus voluerit. Sic enim deducimur ad
considerationem immense dilectionis Christi erga nos, & beneficio-